

# DEO OPTIMO MAX.

## UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

# QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA.

*QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ mensis Februarii Anno Domini* M. DCC. XLIV.

M. JACOBO-ANTONIO MILLET, Doctore Medico, Præside.

*An Periti Chirurgi Solertiam non minùs, quàm Rationalis Medici Prudentiam requirat Venæ-sectio?*

I.



SANGUINIS per venam sectam missio, præstantissimum magnorum morborum aut ingruentium, aut jam sævientium auxilium, ab antiquioribus Medicinæ sæculis usitatum, per spontaneas, in ægrorum commoda, excretiones à naturâ indicatum, Medici rationalis prudentiam, simul & periti Chirurgi solertiam, si ullum aliud, postulat, non modò ut juvet, sed ut non noceat. Hanc promiscuè nihilominùs suadere, celebrare audet mimorum genus omne, consilii, solertiæ inops; sed quo even-

tu ? Heu ! Sæpiùs Parentum, Amicorum, Civium lacrymæ loquuntur, ut potè ex quorum Familiâ, Societate, Republicâ ſublatus eſt æger. Uſquè adeò verum eſt, felicem ſanguini exitum concedere, hoc demum eſſe prudentis & rationalis Medici, tutò viam aperire, periti, ſolertiſquè Chirurgi. Hujus conſortii partem in miſſione ſanguinis, perindè ac in cæteris morborum auxiliis, ſuam unicuique nobiliſſimam, ipſâ artis Principum ætate definitam teſtantur antiquiores rerum medicarum ſcriptores; Hinc in ſingulorum auxiliorum qualitate cognoſcendâ, quantitate determinandâ, iiſdem utendi ratione dirigendâ, opportunâquè temporis occaſione arripiendâ Medici officium; in artificioſâ verò manuum actione Chirurgi miniſterium ſtatuit GALENUS *De arte curativ. In lib. Hippocrat. de offic. Med. & in finitionib. Medic.*

## I I.

MEDICUS Rationalis ſpecies, cauſas, magnitudinem vitiorum, quibus ſivè interiùs ſivè exteriùs afficitur corpus humanum, dijudicans, habitâ ratione virium, quas pari cum vitâ paſſu ambulare novit, debiles ex oppreſſione diſcernit ab eis quæ tales ſunt ex reſolutione, ut venæ ſectiones harum extinctivas ſupprimat, neceſſariumquè ad vitam nectar aſſervet, dum felici diſtractione laborantis naturæ conatus adjuvat, aggravataſquè à ſanguinis quantitate & impeditas vires expedit. In ſecandæ venæ delectu intelligens, ab inflammatâ parte ſanguinis impetum & copiam in partem oppoſitam revellit, felicemquè tumoris, vulneris, ulceris, luxationis, aut fracturæ exitum promovet: quamvis enim miſſionem ſanguinis, è quâcumque venâ, dextri vel ſiniſtri, pedis aut brachii, &c. celebratam, evacuatoriam eſſe ex eo evidens ſit, quòd in tantùm minuitur humorum moles, in quantùm ſanguis extrahitur, quoniam tamen apertâ venâ major ſanguinis quantitas ad quaſdam corporis partes quàm ad alias apellit, adeoquè revulſio fit reſpectivè ad partes ad quas minor quantitas, derivatio verò reſpectu earum ad quas major advenit, idcircò non eſt ex quâlibet venâ promiſcuè ſanguis educendus.

## I I I.

SCILICET Miſſionem ſanguinis præcipuè indicant Plethora, Rareſcentia, Spiſſitudo cum Plethorâ, Hærentia illius fluidi in quibuſdam vaſis, undè in aliis ſequitur Plethoræ ſtatus. His in caſibus adveniente jugiter novo ſanguine, dilatantur ultrà tonum vaſa, debilitantur eorum oſcillationes, languet circuitus humorum, parciores fiunt ſecretiones, functiones impediuntur; datâ autem per venæ ſectionem portâ, ſanguis toto corpore luxurians emittitur, proindequè hujus imminutione decreſcit momentum quo arteriis in contractionem nitentibus reluctatur; hinc augetur in illis contractio, promovetur ſanguinis ſubactio, fluiditas, circuitus, copioſiores fiunt ſecretiones, reſtituitur functionibus libertas. Verùm cujuſcumque venæ ſectio inſtituatur, uberior ſanguinis quantitas, majori velocitate, per omnes arteriæ ramos venæ ſectæ continuos, ſaltem per totum miſſionis tempus, derivatur, tum pro-

pter minorem resistentiam, tum propter brevius iter percurrendum; si ergò ex affectæ partis latere vena secetur, ad hanc partem copiosiùs & velociùs irruens sanguis arterias, à quibus eum accipit, magis distendet, hærentem jam in illis cruorem ad earumdem extrema urgebit; hic denegato in venas aditu lymphaticorum orificia subibit, inflammationem adaugebit. Contrà verò misso ex parte oppositâ sanguine, minor ejus quantitas ad affectam lentiùs affluit, vasa, imminuto novi sanguinis appulsu, liberiores edunt oscillationes, & juvante assiduo lymphæ adventu, hærentem in arteriis lymphaticis cruorem terunt, dividunt, fluxum illius per venas lymphaticas in sanguiferas promovent, sicquè, restituto propriis canalibus sanguine, feliciter terminatur inflammatio, tumorisquè, vulneris, ulceris, luxationis, vel fracturæ haud difficili negotio absolvitur curatio.

## I V.

CUM itaquè, habito ad partem laborantem respectu, sanguinem ex hac vel illâ venâ, magis aut minùs iteratis vicibus, majori vel minori quantitate, pro morbi specie, causâ, magnitudine, ægri viribus, temperamento, ætate, &c. opportunè mittendum judicaverit prudens & rationalis Medicus, tum Chirurgus in consortium salutaris ministerii accedens, ad operationem, simplicissimam quidem, sed quandoquè omnium difficillimam, intrepidè se accingit. Hic acutè videns, corporis partium structurâ, vasorum sanguineorum dispositione, obviorum nervorum distributione, fibrarumquè carnearum aut tendinearum cognitione haud leviter eruditus, comparatâ à teneris annis assiduo usu ambidexteritate celeri, quàm Medicus secandam judicavit venam sedulò indagat, nè vel cutim tantùm feriat, & ictum repetere cogatur, vel tendinem, nervum, aut arteriam secet; deindè, habito ad cor respectu, ligaturam suprà locum aperiendum præmittit, ut, impedito ad fontem sanguinis reditu, tumidior fiat vena; tum lanceolam magìs aut minùs perpendiculariter ad cutim dirigendo, pro magìs aut minùs profundo venæ secandæ situ, ipsam venam obliquè findit; mox vel pedem aquæ calidæ immittit, imò quandoquè manum, quò fluidior in hac parte reddatur sanguis, & venæ magis tumeant, vel baculum ad manum imponit, ut leni motitatione promptior fiat è venâ brachiali fluxus; interea ligaturam laxat, si arteriam nimiùm comprimat; tandem emisâ sufficienti sanguinis quantitate, illam omninò aufert, impositoquè digito, plagulâ, ut plurimum siccâ, quandoquè autem vino madidâ, si nempè vel thrombo circumcincta observetur apertura, vel sanguis intra cutim expansus suspicetur, vulnus ad consolidationem disponit.

## V.

SIMPLICI hoc apparatu celebratur utilissima omnium operationum Chirurgicarum Phlebotomia; at quanta in paucis hiscè peragendis requiratur ex parte Chirurgi solertia declarant funesti, qui imperitè celebratam operationem sequuntur, eventus: si enim arteria, nervus, tendo, aponevrosis, aut periosteum pungantur, succedentibus, heu! sæpiùs, anevrismate, pul-

ſatione, dolore, tenſione, inflammatione, abſceſſu, febre, convulſionibus, delirio, gangrænâ, ſphacelo, mortem præmaturam in ſaluberrimi remedii adminiſtratione invenit æger, niſi, auxiliantibus de novo Rationalis Medici Prudentiâ, Peritiquè Chirurgi Solertiâ, promptiſſimè tam ſæva compeſcantur ſymptomata.

*Ergo Periti Chirurgi Solertiam non minùs, quàm Rationalis Medici Prudentiam requirit Venæ-ſectio.*

## DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

*M. Joannes-Jacobus Belleteſte.*

*M. Michael Philippus Bouvart, è Regiâ ſcientiarum Academiâ.*

*M. Michael-Joſephus Majault.*

*M. Antonius Ferrein, è Regiâ ſcientiarum Academiâ, Profeſſor Regius & Chirurgiæ Profeſſor.*

*M. Bartholomæus Murry.*

*M. Carolus Payen.*

*M. Thomas-Renatus Gaſnier.*

*M. Philippus-Davier de Breville, Dotariæ hiſpaniarum Reginæ, dum viveret, Medicus ordinarius.*

*M. Guillelmus de Magny.*

Proponebat Pariſiis, FRANCISCUS-SALESIUS-DANIEL POULLIN, Aurelianus, Doctor Medicus Monſpelienſis, è Regiâ Scientiarum Societate Monſpelienſi, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1744. à ſextâ ad meridiem.

---

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1744.